

Viro clarissimo, doctissimo,  
IO. HENRICO LEICHO,  
I. Gasp. Hagenbuchius  
S. P. D

QVAS literas, cum aliis ad WALCHIVM Ienensem conjunctas, IIII. Nonas Aprileis MDCCXXXVIII. ad TE, optime LEICHI, dedi; TE accepisse tanto minor dubitatio mihi est relicta, quod Iena responsum recte et tempore suo accepi. Cur adhuc non responderis, nescio: nisi novum Professoris munus, TIBI tunc demandatum, non mei TE immemorem reddidit, cunctatorem tamen, alia majoris momenti interea executum. Ego vero hanc Clarissimatus dignitatem TIBI delatam quum primum in Eminentissimi Ecclesie Romanae Purpurati Specimine Humanitatis HETERODOXORVM (quanta nobis gloria hic a ΚΑΚΟΔΟΞΩΝΙ titulus) Germania legerem pagg. 15. et 25. ob spem futurorum beneficiorum, quibus non modo Athenaeum Lipsiense, sed universum orbem literatum demereberis, et nominis TVI famam factis praclarissimis extends, non minori gaudio me perfructum esse sensi, atque his diebus sum delibutus, quum unanimo consensu Canonicus essem electus Turicensis.

HARZHEIMI dissertationem ipsa Colonia Agrippina secus ac opinabar non potuit mittere. de altera editione nuntiatum quid est. Sed promissa ejusmodi in diem esse nosti. Alia calamitas WILDII libellum TIBI destinatum nobis Bernae interceptit. At HOTTINGERI numos bracteatos aut collega mihi conjunctissimus Breitingerus ad Ernestum vestrum, aut ego ad TE, proxime, Spero, mittemus.

Plura ad TE nunc si scriberem, meis ipse commodis ne obstarem, et officerem, vehementer timebam. Ita enim fieret, ut ab legendo volumine QVIRINIANO, quod cum his literis mitto nostrae pigrae amicitiae, detentus distractusque, non brevi i. e. cito mihi rescriberes; sed brevi i. e. paucis: quorum prius ut facias, posterius ne facias, TE etiam atque etiam rogo, quaesoque. VALE doctissime LEICHI, et celeberrimum Kappium, pro cujus SAAVEDRA meum ei QVIRINVM Heideggerus noster mittet, saluta.

Turici. Ipsi Idibus Martiis. MDCCXXXVIII.



Monsieur

Monsieur Jean Henri Leich,

tres-celèbre Professeur dans l'Académie de Leipzig.

Leipzig.

146v

172.  
145

Plurimum reverendo  
Clarissimo atque doctissimo  
viro  
IO. HENRICO MEISTERO  
S. P. D  
I. Gaspar Hagenbuch.

NUPER cum Rev. Pastore SCHNEIDERO, quo mei meorumque studiosio-  
tem non habeo, simul quod omnium Turicensium unam Franconiam habet notis-  
simam, in sermonem quum venissem, de peregrinatione filii mei literaria cum fru-  
ctu instituenda, gaudebam mecum planissime EVM sensisse, ad Franconiae decus,  
MEISTERVM nostrum, videri juvenem Hagenbuchium mittendum esse. quod  
consilium meum meaque quum idem ILLE, et TIBI et mihi amicissimus, mei-  
que animi interpret certissimus, quum ad TE perscripsisset; quodque inprimis opta-  
bam, sine mora iam Kalendis Novembribus quum TV respondisses; mei ego vo-  
ti damnatus quanta sim adfectus letitia, sentio magis quam eloquor.

Quid verbis opus est? sufficiunt mihi literarum TVARVM haec de filio meo  
verba. „S'il a assez de confiance en moi pour se soumettre à ma direction tant  
pour ses ETVDES que pour sa CONDVITE, je lui servirai de PERE de  
tout mon COEVR. „ Hanc TIBI mentem servet DEVS T. O. M. filioque  
meo tantum largiatur gratia, ut quae partes eius sunt et pie et graviter faci-  
at. id quod gravissimis a me quotidie admonetur verbis, speroque faciet divi-  
no nixus praesidio, si secundum DEVM me, si matrem, si ipse se, id est salu-  
tem suam amet. neque nisi jussus, sique patitur, rogatus, ut in TE colendo  
patriam sibi constituat Sanctitatem, a me et matre sua abibit.

Abibit autem a nobis,  $\zeta\upsilon\upsilon$   $\Theta\epsilon\omega$   $\delta'$   $\epsilon\iota\sigma\iota\beta\epsilon\lambda\alpha\iota$ , ad diem VII. Kalendas  
Decembres, et ad VOS adveniet,  $\Theta\epsilon\omega$   $\delta'$   $\epsilon\lambda\eta\beta\epsilon\tau\omega\varsigma$ , prima Decembris men-  
sis hebdomade. TIBI, veteri amico, qui mihi in medullis adhuc haesisti,  
et semper harebis, lectissimaeque coniugi TVAE commendo adolescentulum

meum

10  
~~10~~



Monsieur

Monsieur le Maître, trèsid. Min. du St.  
Evang. et très Reverend Chapelain de S. A. S. Ma-  
dame la Margrave regnante de Brandenbourg Bay-  
reuth, et très digne Pasteur de l'Eglise françoise re-  
formée.

Pro. Nuremberg.

Christ. Erlang.

